



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 2. Societas Sanctæ Fidei urbem sede occupat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

nautas, cives, Peruanos Chilenosque advenas, necnon variarum linguarum Indos, operas distrahere. Nullus repertus, qui magni Jubilæi leges ab Romero promulgatas non adimplerit: nullus ex tot hominibus, qui conscientias suas apud Sacerdotes nostros non posuerit. Interjecto tempore, ex Magellanicis, Charuis, & hujusmodi feritatis monstris, delectu habito, Baptisma, solemnè pompâ, astante Prætorè ac urbis Primoribus, collatum est. Cæteri verò dilati, vario numero, sequentibus annis Christo nomen, Societatis operâ, dedere. Sed Æthiopum ut numerus major, & indoles melior, sic cura intensior; quorum etiam corpora pædore ac peste plerumque corrupta curabantur. Nec is labor transitorius est, sed singulis annis, non sine magno Ecclesiæ lucro, celebrantur hæ animarum & Apostolicorum laborum nundinæ, eò Societati utiliores, quò talium mercium rari sunt appetitores. Profectò si numerum Æthiopum, in hoc portu ab Societatis hominibus baptizatorum, ad calculum reducas, laudabis Divini Numinis clementiam, miserimæ gentis corpora vexari permittentis, ut quàm plurima millia in filiorum suorum fortem admittat.

*Charuis baptizantur.*

*Æthiopes curantur.*

CAPUT

II.  
Societas  
Sanctæ Fi-  
dei urbem  
fide occupa-  
pat.

*Hujus urbis  
origo.*

*Indigena-  
rum mores.*

*Eorum mul-  
tiplicatio.*

**S**UB idem tempus, Ferdinando Ariâ Paraquariæ Exprætorè adnitente, Provincialis missu, Franciscus à Valle in urbem Sanctæ Fidei, octoginta leucis adverso Argenteo flumine ab portu Boni-aëris distantem, Societatis coloniam deduxit. Hanc urbem, paulò antequam Portus Boni-aëris restauraretur, Joannes Garaius ad Quiloasæ amnis, in flumen Argenteum sese exonerantis, ripam ideò ædificaverat, ut adventantibus ex Europa navibus subsidio esse posset. In novos colonos non semel infurrexere Barbari, frustratis semper conatibus, Deo & Divo Hieronymo, cui urbs consecrata est, Hispanorum consilia promoventibus. Indigenæ hoc olim in moribus habebant singulare, quòd sceminis luteo colore corpora sua non antè discriminare licitum esset, quàm carnem humanam gustassent. Si corpora bello capta decissent, puellis nondum pictis frustra cadaverum popularium suorum devoranda præbebantur. In parentum sepulchris arbores plantabant; struthionumque plumis ornabant; ad quas ploraturi per certa temporum intervalla concurrebant. Ante Hispanorum adventum piscatione venationeque se sustentabant; sed deinde adeò se boum greges multiplicavere, ut non tantum indigenis alendis, verum etiam aliquousque ditandis Hispanis suffecerint. Constat ab anno hujus sæculi undecimo usque ad trigesimum-primum, è campis Sanctæ Fidei urbi subjectis decies centena boum millia in Peruviam magno proventu abacta fuisse. Præter hæc, urbs Sanctæ Fidei nulla in re memorabilis erat, nisi Barbariem ad Christum adducendi spe: nam quâ Paraquarium respicit, Calchaquina vallis altera centum fermè leucis ad flumen Argenteum protenditur, immanissimorum mortalium receptaculum: nec longè aberant alii Barbari Societatis laboribus destinati. Sede positâ Franciscus à Valle, vir impiger, diu noctuque in Hispanos, Æthiopes ac Indos, ita operam dispensavit, ut dæmonis & lycophantarum odium acerrimè, uti suo loco tradam, proritarit. In templo nostro condendo Ferdinandus Arias Exprætor, & ejus filia, virgines nobilissimæ, terram humeris bajulavere. Quo factò, meo judicio, ille majorem gloriam indeptus est, quàm cum amplissimæ Provinciæ tribus vicibus pro Rege præfecturam magna cum laude gessit.

CAPUT

III.  
Ignatii Lo-  
iolæ inter  
Beatos rela-  
ti celebritas  
& miracula

**S**ED super has res longè solidius exhilaravit omnes nuncium ab Joanne Romero allatum, de Ignatio per Paulum Quintum Pontificem inter Beatos relato: & crevit Societatis autoritas spectatione ludorum in portu Boni-aëris, in ejus apothecoli solemniter institutorum: quos celebres fecere majorum minorumque tormentorum iterata explosio; duorum Prætorum cum frequenti nobilitate equestris pugna, nautarum ingenium ex navium velis extemporale templum amplè erigentium ornantiumque, & sexcenta alia lætitiæ singularis ostentamenta, quæ ad imitationem traxere latissimæ Provinciæ loca omnia, Gloriosi Patris Sanctitatem, non minus ex recentibus propinquisque miraculis, quàm ex filiorum laboribus virtutibusque æstimantia. Urbs Sancti Michaëlis apud Tucumanos per quadraginta con-

tinuos